obfirmatis, audita ~~fuit~~ sunt illa hora per omnes sub monte habitantes, monachis quidem in monte minime audientibus, quatuor maiora signa campanarum ecclesie solempniter insonare, stupentibus omnibus, quid huiusmodi pulsatio pretenderet, donec facto mane rem tam insolitam cunctis innotescebat. Cetera sanctitatis huius pontificis Annonis vite ac conversationis et miraculorum insignia in legenda ipsius, que apud multas ecclesias servatur, plenius continentur.

Hildolphus.

34 Tricesimo quarto loco sedit in pontificali cathedra Coloniensis ecclesie sub Henrico ~~quarto~~ IV imperatore ~~supradicto~~ annis ~~viginti~~ 15 venerabilis archiepiscopus Hildolphus.

Sigewinus.

36 Tricesimus quintus tenuit pontificalem cathedram Coloniensis ecclesie, sedens sub Henrico IV imperatore ~~supradicto~~ annis 10, venerabilis ~~presul~~ pontifex Sigewinus.

Hermannus tertius.

37 Tricesimo sexto loco ordinatus est ad regimen pontificale Coloniensis ecclesie, sedens sub ~~predicto~~ Henrico IV imperatore annis 10 et mensibus 6, venerabilis ~~presul~~ pater Hermannus 3ius, quem ~~divitem~~ divitem cognomento appellamus.

Fredericus primus.

38 Tricesimus septimus successit in pontificatu Coloniensis ecclesie, sedens sub Henrico IV et ~~quinto~~ Henrico V, nec non Lothario ~~tercio~~ III imperatoribus annis 36, venerabilis presul Fredericus ~~primus~~ I. Iste prefatum Lotharium una cum uxore sua Ritza Colonie unxit in imperatorem. Idemque quoque plus factione Henrici quarti imperatoris supradicti, quam electione priorum virorum ascendit ad episcopatum. Nam usque ad hec tempora imperatores investituram annuli et baculi tradere consueverunt. Porro ipse idem Fredericus contra innumeram multitudinem Suevorum et Bavarorum parva licet manu in campis Andernacensibus confligens, feliciter triumphavit. Hic etiam fundavit monasterium in Rolandswerde et cellam religiosorum fratrum in Remago supra montem. Sepultus est in monasterio Sibergensi.

Bruno secundus.

39 Tricesimo octavo loco successit ad regimen Coloniensis ecclesie, sedens sub Lothario III imperatore supradicto annis 6, venerabilis pontifex Bruno secundus. Hic cum esset prepositus sancti Gereonis, Coloniensis, repulsa electione canonica priorum de persona Godefridi prepositi Xanctensis ecclesie facta factione dicti Lotharii imperatoris fuit per violenciam intrusus. Is autem cum dictum Lotharium in Italiam in expeditione armati exercitus fuisset comitatus, apud Barum civitatem Apulie obiit, sepultus ibidem.

Hugo.

40 Tricesimus nonus ~~successit~~ succedit in pontificatu Coloniensis ecclesie venerabilis pater Hugo, prius maioris ecclesie Coloniensis de-